



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

Quid Patres de Sacrificio senserint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

culpæ & pœnæ. Hæc omnia falsa, & impia sunt, nup-  
 tibus indoctis Monachis conficta, & obruunt gloriam  
 passionis Christi, & iustitiam fidei.

Et ex his erroribus infiniti alij nati sunt, quantum  
 Missæ valeant applicatæ simul pro multis, quantum  
 valeant singulæ pro singulis. Sophistæ habent des-  
 criptos gradus meritorum, sicut argentarij gradus pon-  
 derum in auro aut argento. Deinde, vendunt Missam,  
 tanquam precium ad impetrandum, quod quisq; ex-  
 petit, Mercatoribus, vt fœlix sit negociatio, venatori-  
 bus, vt fœlix sit venatio. Et alia infinita. Postremò, trans-  
 ferunt eam & ad mortuos, liberant animas applicatio-  
 ne sacramenti, à pœnis purgatorij, cum sine fide nec  
 viuus Missæ profit. Neq; ex scripturis aduersarij afferunt  
 vel vnâ syllabam possunt ad defensionem istarum fa-  
 bularum, quas in Ecclesia magna autoritate docent,  
 Neq; Ecclesiæ veteris, neq; Patrum testimonia habent.

### *Quid Patres de Sacrificio senserint.*

**E**T quoniam loca Scripturæ, quæ contra nos citan-  
 tur, explicauimus, de Patribus etiam responde-  
 dum est. Non ignoramus, Missam à Patribus ap-  
 pelliari sacrificium, sed hi non hoc volunt, Missam ex o-  
 pere operato conferre gratiam, & applicatam pro alijs  
 mereri eis remissionem peccatorum, culpæ & pœnæ. Vbi  
 leguntur hæc portenta verborum apud Patres? sed aper-  
 te testantur, se de gratiarum actione loqui. Ideoq; vocant  
 εὐχαριστία. Diximus autem supra, sacrificium εὐχαρισ-  
 τικόν non mereri reconciliationem, sed fieri à reconcilia-  
 tis, sicut afflictiones non merentur reconciliationem,  
 sed tunc sunt sacrificia εὐχαριστικά, quando reconcilia-  
 ti sustinent eas. Et hoc responsum in genere ad Pa-  
 trum dicta, satis tuetur nos contra aduersarios. Cer-  
 tum est enim, illa signa de merito operis operata

ausquam extare apud Patres. Sed vt tota causa magis  
perspici possit, dicemus & nos de vſu sacramenti, ea,  
quæ certum est consentanea esse Patribus & Scri-  
pturæ.

## DE VSV SACRAMENTI, ET DE SACRIFICIO.

**Q**UIDAM belli homines fingunt, cœnam Domini  
institutam esse propter duas causas. Primum, vt  
sit nota & testimonium professionis, sicut certa  
forma cuculli est signum certæ professionis. Deinde  
cogitant, præcipue talem notam Christo placuisse, vi-  
delicet conuiuium, vt significaret mutuan inter Chri-  
stianos coniunctionem atq; amicitiam, quia symposia  
sunt signa fœderum & amicitia. Sed hæc opinio est  
ciuilis, nec ostendit præcipuum vsu rerum à Deo  
traditarum, Tantùm de caritate exercenda loquitur,  
quam homines prophani & ciuiles vtcunq; intelli-  
gunt, De fide non loquitur, quæ quid sit, pauci intelli-  
gunt.

Sacramenta sunt signa voluntatis Dei erga nos, non  
tantùm signa sunt hominum inter sese. Et rectè de-  
finiunt sacramenta in nouo testamento esse signa gra-  
tiæ. Et quia in sacramento duo sunt, Signũ & Verbum;  
Verbum in nouo testamento est promissio gratiæ ad-  
dita, Promissio noui testamenti est promissio remissio-  
nis peccatorum, sicut Textus hic dicit: Hoc est corpus  
meum, quod pro vobis datur. Hic est calix noui testa-  
menti, cum sanguine meo, qui pro multis effundetur in  
remissionem peccatorum. Verbum igitur offert remis-  
sionem peccatorum. Et ceremonia est quasi pictura ver-  
bi seu sigillum, vt Paulus vocat, ostendens promissio-  
nem. Ergo sicut promissio inutilis est, nisi fide accipia-  
tur, ita inutilis est ceremonia, nisi fides accedat, quæ  
verè statuat hic offerri remissionem peccatorum.

Et